

monstravit. Nec enim eos vnuquam tam sedulo sepe-
lisset; nisi credidisset illos in lucem denuo asserendos.
Hæc sunt, quæ nostris actibus maxima tribuunt mo-
menta & actiones à se bonas ad gradum dignitatis ex-
cellentissimum extollunt. Hinc & Angelus singulariter
& significanter: *Quando orabas; inquit, cum lacrymis
& sepelias mortuos; & derelinquebas pradium tuum,
&c. ego obtuli orationem tuam Domino.* En gemmam nobil-
issimam auro clausam, en anulum pretiosissimum, se-
pultura studium non vna solum virtute decoratum.
Sed hic altera pars dictionis, tolerantia cæcitatæ inspi-
cienda.

Summa fuit Tobie tolerantia in cæcitate perferenda.
Hic cum psalter regio dixerimus: Verè Deus mirabilis tu
es, quia omne, quod volueris, facies, sermo tuus potestate
plenus est, nec dicere tibi quisquam potest: *Quare ita facis?* Ex-
postulare cum Deo necas, facti rationem à Deo postere
non licet. Et en iudicia Dei occulta, admiranda, semper
tamen æqua. Tobias post tot virtutum officia, & actio-
nes sanctas, dum Dei causa laborat, cæcitatem incurrit.
Hic multi, qui valetudinem & bona fluxa nimis æsti-
mant, aliter debuisse fieri indicauerunt. Nam Tobias eodem
Pentecostes vespere à sepeliendi labore admodum
fessus, cum aliquid immunditiæ legalis, à contactu mor-
tuorum contraxisset, domum suam non omnino ingres-
sus, sed in vestibulo iuxta parietem decubens, obdor-
muit; hic hirundines in dormientis oculos deciderunt
sordes. Quomodo autem si dormit? Interpretes septua-
ginta censent apertis cum oculis dormisse. Pro testi-
monio dixit Plinius: Patentibus oculis dormiunt lepo-
res; multique hominum. Hoc tamen mirum videri pos-
sit cum sicum hirundinis excrementum oculis medea-
tur, quomodo eos recens & calidum perdat. Nam &
hirundinum pulli sic cæcantur; eorum tamen oculares
medici sunt parentes. Qua de re Tertullianus ita loquitur:
Tobias: Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos ocula-
re rufus de sua chelidonia.

Tobias igitur vsum oculorum perdidit anno ætatis
quinquagesimo sexto, sed non perdidit casu, aut fortui-
to. Hic igitur ambos oculos immergamus in diuinam
providentiam, quæ ab omni retro æternitate, quidquid
nobis tolerandi, ad vnguiculum dimensa est. Nil in or-
be fortuito, aut casu fit, si diuinam spectemus scientiam;
si nostram, plurima. Deus puncto temporis omnes ter-
ratum & marium, omnes cæli & inferorum recessus, ac
sinus, omnium Angelorum & hominum corda, cor-
diisque latebras peritæ ac penetrat, disponitque om-
nia sapientissimè. *Non est vlla creatura inuisibilis in con-
spectu eius; omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Quo-
niam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, cir-
cumspicientes omnes vias hominum; & profundum abyssi, &
hominum corda intrantes in absconditas partes. Opera omnis
carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab ocu-
lis eius.* Hinc nihil in terra sine causa fit. Diuina pro-
uidentiâ attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit om-
nia suauiter.

Augustinus in Psalmum illum interpret: *Constitit
tibi in toto corde meo narrabo omnia mirabilia tua: Occultum,
inquit, iudicium est pæna, qua nunc cuiusque hominum,
aut exercetur ad purgationem, aut adnoscitur ad conversionem:
aut si contempserit uocationem & disciplinam Dei, excæca-
tur ad damnationem. Non in toto corde consistit Deo, qui de
providentiâ eius in aliquo dubitat. Omnia ad diuinam pro-
videntiâ regimen referantur, que stulti quasi casu & temere, &
nulla diuina administratione fieri putant.* Paulus in tribu-
latione gaudet, quia non casum, sed Dei donum tribu-
lationem agnoscit. Egrotat quis? si probus est, exercet-
ur ad præmium; si improbus, mouetur ad conuersio-
nem; si obduratus, preparatur ad damnationem. Moses
infantulus in picata viminea fiffella à Pharaonis filia
non casu, sed certo Dei consilio inuentus est. Ad Ie-

remiam in vencilis hærentem venit, sed non casu, pa-
truelis eius offerens emendum prædium: Eme, aicbat,
à me agrum meum, è quo tamen nec manipulus, sed
nec spica meti poterat, cum Chaldæi Iudæ iam pæ-
ne tota occupata Solymæis portis imminerent. Nihilo-
minus Ieremias agrum illum, qui iam in potestate ho-
stis fuerat, signatis tabulis emit, testes adhibuit, argen-
tum adnumeratit, non casu, nec temere, sed causam
hanc addidit: *Intellexi autem, quod verbum Domini esset.*
Hussæi principis armentum omne abactum, greges
ouium combusti, liberi ruina domus obtriti, non ca-
su, nec fortuito: *Domino abstulit, & sicut Domino pla-*

cuit, ita factum est.
Cum sorti nos committimus, & ex vna fortui-
to bonorum feliciorē sententiā expectamus, sche-
dula manes, & vacua extrahuntur plurimæ, sed nō ca-
su, subito huic inauratus scyphus, illi pretiosa vestis, isti
pictura nobilis obtingit, neque hoc casu. Nam *sortes,*
Salomone teste, *in finem mittuntur, sed à Domino tempe-*
rantur. Hoc regem Hebræum David mirè solabatur in
arumnis etiam grauissimis, cum Amnon filius charissi-
mus ad mensam iuguleretur, cum nequissimus Semei
verba & lapides in regem suum iaceret, cum Absalon
rebellis filius in parentem arma moueret. David ad
Deum se vertens: *Ego autem, inquit, in te speravi Domine;
Dixi; Deus meus es tu, in manibus tuis sortis mea. Dicant,
faciantque homines quod voluit, laudent, vituperent
extollant abiciant, parum interest: quod tua, mi Deus,
providentiâ me fieri decreuerit, id fiet, non istud sorti,
sed tua potentia ac voluntati adscribendum.*

Ambegebat rex Babylonis Nabuchodonosor nutu
vim bellicam in Ammonitis verteret, an verò aduer-
sus Ierusalem tenderet: *Stetit enim rex Babylonis in bi-*
litho, inquit Ezechiel, in capite duarum viarum, diuinationo-
nem querens, commiscens sagittas interrogauit idola, extra-
consultit. Ad dexteram facta est eius diuinationo super Ierusa-
*lem, ut ponat ardetes, ut aperiat ut in cade, ut eleuet vocem
in oblatu, ut ponat ardetes contra portas, ut comportet agge-*
rem, ut adificet munitiones. Sed hoc non casu, neque for-
tuito factum, sed diuina voluntate has sortes tempe-
rante. Rex quidem grauissimè deliquit, quod tanti mo-
menti bellum sorti subiecerit, nihilominus prout Deus
voluit, ita fors exit.

Rex Israël Achab mutata veste in aciem prodiit ad-
uersus Galaadras, eoque loco substitit, quo extra teli
iactum esse videretur. *Vir autem (miles gregarius) tenuit
diti arcum in incertum sagittam dirigens, & casu percussit re-
gem Israël, inter pulmonem & stomachum.* Hoc sanè, si spe-
ctemus providentiâ humanam casu factum est, neu-
quam verò, si diuinam. Quod Michæas aperitissimè
prædixit: *Dei sagitta nūquam aberrat meta. Ad sanan-*
*dum, ad vulnerandum certissime sunt manus diuinæ,
non euadit vllus, quem eæ sibi ad ictum destinauerint.*

Cum Ieas rex Iudæ animo angeretur ob vicinum
hostem, bumentibus oculis Elisæum adiit, & quàm res
bus omnibus vigeretur, exposuit, eius auxilium implo-
rans. Elisæus, qui vnum hunc plurimum solari & iua-
re poterat, sub hoc ipsum tempus egrotauit, & mor-
tuus est, sed non casu, sed nec in sepulchrum casu illa-
tus est. Nam eo ipso anno Moabite latrones irruptio-
nem illac fecerunt, hinc cadaver hominis eo tempore
sepeliedi latronum metu in tumulum Elisæi abiectum
reuxit. Neque hoc certe subito casu tribuendum, quod
maximè casu factum videri potest. Augustus Impera-
tor non casu descriptit orbem nascente Christo, nec
Christus casu pro natali domo stabulum habitauit.
Hæc omnia diuina providentiâ disponit, dirigit, ad exitum
perducit. Ita nec Tobias casu oculorum vsum per-
didit. *Hanc temptationem ideo permittit Dominus enenire illi,
ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti
Iob.*

Tob. 12. 12.

Psal. 113. 3.
Eccles. 8. 3.
& 4.

Plin. l. 11.
Nazur hist. c. 17.
Vide Aldro-
uandu Or-
nithol. l. 17
c. 6. sine s.
Tertull. l. de
pænit. c. 12.
Iob. 19.
Tobias an-
no ætatis
56 perdidit
vsum ocu-
lorum.

Heb. 4. 1.
Eccles. 23. 18.
Idem 39. 24.

Sap. 8. 1.

Aug. in ps.
95 pag. 24.

Tribulatio
est Dei do-
num

Jer. 32. 7.
& 8. & 9. & 10.

Iob. 1. 21.

Prou. 16. 33.
Sortes sunt
in manu
Dei.

Psal. 30. 16.

Ezech. 23.
diuinationo-
21. & 22.

Reg. 11.
spe. 34.

Reg. 9. 25.

Tob. 2. 12.